

ing.
19

A. H. F. EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

IV A 219.

SIGNAT. elb15CCCXIII.

n. R.

De
STUDIO
THEOLOGICO
COMPENDIARIA ET
genuinâ tamen ratione in-
coando & continuando

BREVE
CONSILIUM

Autore
CASP. BARTHOLINO
S.S. Theologiæ D. & Prof. in
Acad. Hafn. Ordinario.



WITEBERGÆ,
Exscribebat **JOHANNES HAKE.**

ANNO M. DC. XXX.





*Reverendis, pietate, eruditione & pruden
tiâ prestantissimis Viris;*

PRÆPOSITIS
Ecclesiarum JESU CHRISTI in
Scania, Hallandia atq; Blechingia
Provincialibus, amicis atq;
fratribus plurimùm
honorandis

D. D. D.
Casp. Bartholinus.

(EMENDATA)

DE STUDIO THEO-
LOGICO GENUINA ET
compendiariâ tamen ratione,
inchoando & conti-
nuando

BREVE CONSILIVM.

Non frustraneam aut in-
utilem futuram hanc
opellam nobis persua-
demus, quòd cum in
tanta ubique studiosorum Theo-
logiæ multitudine vix centesi-
mus quisque ad metam duplicato
etiam sumptu & labore pertin-
gat; non pauci tamen ob viæ &
methodi in stadio illo decurren-
di ignorantiam propter viam
magis quàm in via, immò extra
orbitam & chorum, quod dicitur,
crebris erroribus ac longis amba-
gibus saltantes facilius ad sco-
pum pervenirent, si vel non ita
illotis manibus, in sacraria sapien-
tiæ cœlestis irruerent, vel intra

*Causa ra-
re Erudi-
tionis Theo-
ol.*

certos limites & cancellos pro-
gredientes, se scirent continere.
Hinc fit, ut quidam post multo-
rum annorum in hoc studio labo-
res, & vigilias, vix rextum ali-
quem ex fontibus possint inter-
pretari, multo minùs, quis ejus
verus & genuinus sit sensus, ex
collatione locorum aliisque ad-
miniculis explicare. V. G. Episto-
lam aliquam Apostoli alicujus,
quam pii, ad quos scribebatur, il-
licò intelligebant, non nisi com-
mentariis plurimis adhibitis in-
telligunt; imò ne sic quidem; ob
commentatorum discrepantes o-
piones; ut sæpius recedentes,
quàm cùm accesserunt, minùs in-
telligant. In dogmatibus fidei
proponendis, quia non Biblia,
sed eorum loco & præ iis locos
communes aliquot, & compen-
dia aliqua Theologica (quibus
suus locus esse potest, at non pri-
marius) immane quàm jejuni!
Quòd si aliquandò Biblia inspici-
unt,

unt, frustillatim inde aliquid ex-
cerpunt, & particulam tantum
considerant, quam vel ad locum
aliquem communem, vel contro-
versiam decidendam vident cita-
ri. Quidam contenti sunt Postil-
lis ad docendam plebem, genui-
num textus sacri sensum aliunde
non investigantes, miseri, tem-
pore persecutionis, ubi ad manus
non sunt Homiliae. In refutan-
dis adversariis non ad verbum
Dei vivum confugiunt, quo vis
gladio ancipite penetrantius; sed
ad definitiones hominum, impri-
mis misellorum scholasticorum,
ad libellos Eristicos, ad disputati-
ones Sophisticas, & id genus aliã
debilia praesidia: cum interim i-
*psa scriptura utilis sit non tantum ad
doctrinam, sed etiam redargutionem
& correctionem, ut perfectus sit homo
Dei, &c. 2. Tim. 3. 16. 17.*

Quibus omnibus malis ut oc- *Propositio.*
curratur, brevissimam metho-
dum ostendere animus est ad so-
lidam

lidam & veram sapientiæ coelestis
cognitionem perveniendi; non
quod nos præ aliis satis feliciter
illam olim ingressi simus, sed
quod instar nautarum nos profi-
teamur, qui cum ipsi navi ad sco-
pulum allisâ & elisâ vix salvi ena-
tarint, aliis tamen solventibus re-
ctè possunt consulere, common-
stratis periculis.

Hujus methodi si quis sum-
mam scire volet, tribus verbis,
immò uno possumus eam expri-
mere.

*Summa
Consilii.*

Tria enim requisita potissi-
mum sunt eò deveniendi. Si quæ-
ras de primo, respondeo, *Biblia*;
si quæras de secundo, respondeo,
Biblia; si quæras de tertio, respon-
deo, *Biblia*. Primò inquam *Biblia*
in lingua vernacula familiaria pue-
ritiæ reddenda. Deinde *Biblia in*
fontibus, quorum notitia est instar
commentariorum. Tandem,
Biblia cum Commentariis meliori-
bus. Aliàs frustrâ Petrus scribe-
ret,

ret, 2. Epist. 1. v. 19. nos benè facere
attendentes Prophetico sermone q.
lucerna lucenti in loco caliginoso, do-
nec dies elucescat, & lucifer oriatur
in cordibus nostris. Sic Paulus Ti-
motheum suum laudat, quod à
puero sacras literas didicerat.

Diabolica ergo est vox Politia-
ni, qui rogatus num Biblia lege-
ret; respondebat, semel à se hoc
esse factum, & quòd tempus nun- *Politiani*
quam pejus perdidit; fortè quia *impietas.*
stulus non placuit, quo tamen li-
cet simplici in fontibus, nullus
unquam sub caelo gravior, poten-
tior, plenior.

Stolidissimi, qui apud Ponti-
ficios praesertim in Italia & Hispa-
nia etiam futuros Theologiae
Doctores arcent à lectione Bibli-
orum, non solos Laicos. Habui
in Italia commensales plurimos *De Theolo-*
Theologiae Doctores, quibus ta- *gis quibus-*
men non visa Biblia; cum quære- *dam Pon-*
rem qua ratione gradum conse- *tificiis.*
cuti essent, respondebat unus, in

via Thomæ; alter, in via Scoti. Idem ante Lutheri tempora in Germania contigisse testis est Aurifaber in præfatione super colloq. Lutheri Anno 1569. Lutherum sæpenumero recensuisse, Carolo stadium per octennium Doctorem Theologiæ salutatum fuisse, antequam Biblia legere inciperet: Et tamen in statutis Collegii Theologici VVittebergensis Academiae scribitur inventus in disputationibus atque examibus sufficientissimus. Immo testatur id ipsum Pontificiorum Patronus, Albertus, Archiepiscopus Moguntinus & Magdeburg: atq; Marchio Brandeb. in Epistola ad Roterodamum Anno 1518. præmissâ libello ejusdē de ratione perveniendi ad veram Theologiam, ubi inter alia scribit: *Tu tantus vir, his literis, hac industria communem Germaniam ab fæda Barbariei appellatione vindicas, immò tu divinam Theologiam ab illa*
anti-

antiqua Germana in novam quan-
dam & impuram aliquot jam seculis
deformatam suo splendori reddis, ac
priscum in nitorem restituis. Quid e-
nim desiderari nostra aetate potuit,
quam ut ementatiora essent Novi In-
strumenti exemplaria &c. hæc ille.
Sed ut omnia explicatiùs pertra-
ctentur, sequentibus requisitis
specialioribus universam metho-
dum studium percurrendi Theo-
logicum inclusum ibimus.

REQUISITUM I.

Preces & Pietas.

Primum & primarium requi-
situm ad veram sapientiæ coe-
lestis scientiam perveniendi
sunt *Preces devotæ quotidiana* & to-
to vitæ tempore assiduæ pro divi-
no auxilio in tam sublimi & sacro
studio impetrando. Absque hoc
enim omnis nostra in studiis qui-
buscunque exercitatio miserabi-
lis est execratio. Omnino enim
ad omnia utilis est pietas, habens pro-

A S *mis-*

missionem presentis & futura vite.
1. Tim. 4. v. 8. Neq; enim humana di-
ligentia aut sapientia profunda Dei
scrutatur, sed Deus nobis illa revelat
per Spiritum Sanctum. 1. Corinth. 2.
Neq; humana voluntate allata est o-
lim scriptura Prophetica, sed acti
à Spiritu Sancto loquuti sunt sancti
Dei homines: Neq; ulla scriptura Pro-
phetica est *ιδίας επιλύσεως* 2. Petr. 1.
v. 20. & 21. Interim tamen hinc
non sequitur, quod *ἀμαθεῖς* (rudes
vel ignorantes prima rudimenta
& *μαθήματα*) *ἀσηκπι* & *ἄθεσμοι*
accedere debeamus ad sacræ
Scripturæ interpretationem,
nam & hoc damnat idem Apo-
stolus 2. Epist. c. ult. Cum Davide
igitur orandum *Psal. 119. v. 18. Do-
mine revela oculos meos, ut aspiciam
mirabilia de lege tua, & v. 34. Da
mihi intellectum ut custodiam legem
tuam. Et v. 135. Faciem tuam illumina
super servum tuum, & doce me justi-
ficationes tuas. Nam Dominus dat
sapientiam, ex ore ejus prudentia*

ac

Preces Da-
vidis.

ac scientia. Proverb. 12. Quare si
quis indiget scientiâ, postulet à Deo
qui dat affluenter &c. Jacob. 1. v. 5.
Ita precibus Salomon obtinuit
sapientiam : Daniel precibus à
Deo impetravit, non propriâ sa-
pientiâ & studio, interpretatio-
nem somnii, ne periret cum so-
ciis & aliis sapientibus Babel, Da-
niel. 2. 18. & seq. adjungatur etiam
v. 30. B. Lutherus horas anteme-
ridianas meliores studiis aliàs
aptissimas precibus impendebat.
Certè nisi lucrum hac ratione in-
profectu studiorum sensisset, mi-
nimè hoc fuisset facturus. Non e-
nim hoc est bonas horas perdere,
quum nunquam preces sint fures
temporis. Etiam lectionem in-
terrumpat subinde precatio, San-
cti Spiritus implorans opem, aut
gratiarum actio ob beneficium,
sicubi te senseris profecisse. Et
quoniam Deus castas pondus jus-
sit habere preces, piè & castè vi-
vendum, affectibus pravis resi-

Salomonis.
Danielis.

Lutheri.

Castitas &
cordis pu-
ritas.

stendum, animus à vitiorum in-
quinamentis purus, ab omni cu-
piditatum tumultu quietus ser-
vandus: *alias non affulgebit lux Ev-
angelii gloria Christi, 2. Cor. 4. Et
animam impuram atq; malitiosam
cœlestis illa sapientia non ingredie-
tur, nec in corpore peccatis obnoxio
habitabit, Sap. 1, 4.* Unde scriptu-
ra *initium sapientia timorem Do-
mini appellat, Proverb. 1, 7.* Imò
impio dicit ipse Dominus: *Quid
tibi, ut enarres statuta mea, & assu-
mas pactum meum in os tuum, Psal.
50, 16. & Psal. 1. homini pio atq;e
beato duplex studium commen-
dat: nempe ut ab impiorum con-
sortio se disjungat; atq;e ita de-
inde rectius legem Dei assidue
meditetur. Etenim si Hippocra-
tes à suis discipulis mores exige-
bat integros: Si Julius Firmicus
in re superstitiosa arcebat inge-
nium lucri & gloriæ cupidum,
quantò magis purgatissimis ani-
mis ad hanc cœlestis sapientiæ
scho-*

scholam accedendum? *Exod. 19.*
Populus Dei vocem procul audi-
turus iubetur biduo purgari; &
cap. 3. accurrens Moses ut videret
miraculum ardentis rubi, non ta-
men conflagrantis, non prius ad-
mittebatur eò, & ad divinum col-
loquium, quàm calceamenta pe-
dum deponeret; Ita nobis quum
Mosi de rubo Deus in mysteriis
suis supercoelestibus loquitur
perspicacius, si puri veniamus ad *Discendè*
colloquium. Adsit ardor discen- *cupiditas.*
di perpetuus, adsit oculus fidei
simplex & columbinus. Quod Py-
thagoræ numeros docenti præsti-
terunt auditores; Tu multò ma- *Simplici-*
gis Spiritui S. Doctori. Myste- *tas.*
ria absque impia curiositate sim-
plici fide adora. Procul absit o-
mnis fastus, *nam Deus superbis re-*
sistit, humilibus autem dat gratiam:
omnis gloriæ fames; non enim *Humilitas.*
hominum sed Dei gloria quæren-
da, omnis cœca temeritas, omnis
pertinacia rixarum genitrix. In-
pri-

*Transfor-
matio.*

primis hoc unum agendum, ut transformemur in ea quæ discimus ex sacris, & formam doctrinæ fideli obsequio, vita ipsâ representemus *Rom. 6. v. 17. 2. Tim. 1. v. 13. 2. Cor. 3. v. ult.* Hinc *Jacobus c. 1. v. 22. & seq.* monet, ut non tantum lectores vel auditores, sed etiam factores verbi certatim omnes fiamus. Hinc *idem c. 3. v. 13. & seq.* *Si quis sapiens & peritus in vobis, ostendat ex bona conversatione opera sua, in mansuetudine sapientia. Si autem zelum amarum habetis & contentionem in corde vestro, nè gloriamini & mentimini adversus veritatem: non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, demoniaca.* Et paulò post: *Quæ autem supernè est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, benè suadibilis, plena misericordiâ, & fructibus bonis &c.*

RE.

REQUISITUM II.

Linguarum & artium studia.

HOc requisitum aded necessarium est futuro Theologo, ut absq; eo sit, tanquam hospes in regione ignotâ versetur Biblia tractaturus. Imprimis linguarum studium necessarium est, & earum præsertim, quibus Spiritus Sanctus hominibus locutus est. Alioquin nunquam hæretico & adversario alicui os obturare potes: Cum nulla Bibliorum versio utrinque sit recepta. Quamobrem *linguarum studium* omnino necessarium est: Primum

Hebræa, ob libros prioris temporis Canonicos, qui eâ conscripti: nisi quis versionibus malè fidei adherere velit, atque alienis oculis videndo & auribus alienis audiendo, pro corpore umbram, pro fontibus rivulos sectari, id quod plebei & idiotæ facere coguntur, sic Esa. 19. *Ægyptii rectè faci-*

Vsus Hebrææ lingue.

faciunt, & ut laudati introducun-
tur, quòd discant loqui linguâ Ca-
naan, ut possent Israeliticæ veræ
Ecclesiæ intra Canaan audire at-
que intelligere mysteria. Est et-
iam utilissimum studium lingua-
rum affinium.

*Chaldee
& Syre.*

Chaldee, ob capita aliquot Es-
dræ & Danielis &c. *Syre*, ob
versionem antiquam & utilissi-
mam N. T. Deinde linguæ

*Græcæ
ujus.*

Græcæ, ob libros posterioris
temporis, qui eâ ab Evangelistis
& Apostolis sunt concinnati; tan-
demque

*Vsus Lat.
linguæ.*

Latine, tum ob commentari-
os, tum ob ejus usum apud Eru-
ditos in scholis quotidianum. I-
taque cognitio tituli crucis Chri-
sti (ita vocant tres celebres lin-
guas, Latinam, Græcam & He-
bræam) omninò necessaria est.
In hisce linguis, qui ratione non
proletariâ sed accuratâ versatus
fuerit, is sciat se eximiè paratum
ad sacra accedere studia, inque
iis

his pede inoffenso posse progredi.
Præparatio autem hæc & exerci-
tatio in literis fiat statim in pue-
ritia atque adolescentia; alioquin
adulti fontium phrasiologias non
intelligentes, aut de novo lin-
guas discere, aut præ pudore vel
tædio fontes fugiendo interpreti-
bus fidere coguntur.

Qui parentum & præceptorum
incuriâ ad ætatem aliquam per-
venerunt linguarum ignari; nè sic
quidem hoc adminiculum negli-
gant: Ne pudeat ad Elementa il-
la descendere; Nam & Cato jam *Senes lin-*
senex ad Græcas animum appli- *guarum*
cuit literas. Immo Augustinus jam *studiosi.*
Episcopus & provecâ ætate ad
Græcas literas reversus est discen-
das, puero degustatas quidem, sed
fastiditas: Et passim dolet sibi
non licuisse hebrææ notitiam ad-
dere. Interim licet Latinam dun-
taxat calleret, Græcam leviter at-
tigisset, Hebraicam neque sciret
neque speraret, tamen lib. 2. de do-

B

tri-

Strinâ Christianâ, harum cogniti-
onem ad sacros codices vel intel-
ligendos vel restituendos neces-
sariam pronūciavit. Origenes
jam senex hebraicè didicit : ma-
gno impendio & labore Hiero-
nymus. Et superiori seculo senes
hisce studiis se addixêre, Masius,
VVidtmanstadius, Mirandula, A-
gricola, Erasmus, &c. Hinc *Melan-
chthon* ait : *Linguam hebraicam et-
iam senes didicerunt, ut Hieronymus,
Lyranus, Burgensis, & nostro tem-
pore Galatinus, Complutensis, Vesse-
lius, Capito, Rodolphus Agricola, &
multi alii.* Celebris Dominicanus
Bannes alicubi ait ; in extremâ
senectâ hebraicam linguam se ad-
didicisse, nè amplius ab Hæreticis
derideretur. Et cum ante annos
non ita multos Jesuvitæ & Ponti-
ficii reliqui rarissimè hebraicè
docti essent, imò ob linguarum
studia multum passi quidam Pon-
tificii, ut Reuchlinus, Erasmus,
Pagninus, Postellus, Arias Mon-
tanus

tanus & alii (adeò tristi istorum
temporum facie, ut Græcè nosse
suspectū fuerit, hebraicè autem,
propè hæreticum) hodiè dili-
gentissimè eos in hæc studia in-
cumbere scripta illorum testan-
tur. Et quid non facerent Evan-
gelici, qui fontes solos æstimant,
& meritò quidem, ceu authenti-
cos; Pontificis interim vulgatam
versionem latinam pro authen-
tica salutantibus? *Novi*, inquit
Lutherus, *quantoperè mihi contra*
hostes meos profuerit lingue hebræ
notitia. Certè, peigit, quamvis exi-
gua illa sit, cum omnibus tamen to-
tius mundi gazis Eam non commu-
tarem. Et idem: *numquid hoc te*
movet, quod sanctissimi patres in ex-
plicandis scripturis adeò frequenter
impegerunt? Et licet subinde rectè
aliquid dixerint, incerti tamen fue-
runt, an videlicet in originali ita
esset, ut illi interpretabantur, &c.
Melanchthon ait orat. tomo 4 pag.
465. Reverendus vir Lutherus quàm

Vicaria.
Platina de
Paulo 2.
& Claud.
Espeuceus
Episc. Gal-
lus ad 2.
Timoth. 3.

iudicium.
Lutheri &
Philippi de
linguarum
studio.

B & gra.

graviter nos ad linguarum studia se-
pe hortatus est, & negligentiam stu-
diosorum castigavit: videbat enim
non aliam ad veterem barbariem re-
ducendam magis compendiarium es-
se viam, quam si studia linguarum
interirent; & pag. 471 Scio me vix
primis labris degustasse hebraicas,
græcas & latinas literas. Sed tamen
hoc ipsum quod didici, quantulum-
cunq; est, propter iudicium in religi-
one omnibus mundi regnis, omnium-
que opibus longè antepono. Rectè
etiam Mercerus: Hebraismorum
ignorantia horrendos errores in Ec-
clesiam Dei invexit. Absolutis lin-
guarum studiis, studia artium sa-
pientiæ sæcularis, sobriè & citra
spinosas Scholasticorum quæsti-
unculas pernoscenda, cum pri-
mis: Logica, Rhetorica, Physica,
(nam sæpè ex ipsa rei naturalis
alicujus proprietate illustris in-
tellectus mysterii est) Mathesis &
Astronomia, ob studia Chronologica,
Cosmographica, & Historica, præfer-

*Sapientia
sæcularis
studium.*

2177

tim "Historica Ecclesiastica. Qui-
bus omnibus paulò diligentius,
ad mediocritatem tamen, non
ad curiositatem, incumbendum,
tanquam lucem non exiguam sa-
cris foenerantibus. Nulli tamen
historiæ prophanae fidendum, ni-
si quâ & ubi cum sacrâ consentit:
Sic neque amplexanda omnia
profanorum Philosophorû dog-
mata; sed meliora & saniora sa-
cris literis consona: quæ non ab
Ethnicis primùm inventa, sed à
populo DEI & sanctis Patribus
primitus profecta Dei auxilio:
qua de re videatur *Franzius de in-
terpretatione scriptura pag. 13.*

Quamobrem nimium in stu-
diis rerum secularium esse nolim
ex professo futurû Theologum,
memor & angustia humani inge-
nii, quodque vita brevis, ars lon-
ga; & illius ex Veteribus He-
bræis sapientis, qui interroga-
tus, quantum operæ impenden-
dum esset Græcorû Philosophiæ

B 3

atq;

atque historiae, respondit: quantum & quoties liberet, modo non fieret die vel nocte: quandoquidem Dei consilio meditandum sit in lege Domini die ac nocte. Seneca verè dicebat, *Multos ignorare necessaria, quia non necessaria discunt.* Ergo certè cum dolore sentio ac fateor, nimis magnam ætatis meæ partem in pernoscendâ seculari sapientiâ posuisse, sæpeque tacitus exclamo:

Omni præteritos referat si altissimus annos!

Augustinus ait: *Tanta est Christianarum literarum profunditas, ut in iis quotidie proficerem, si eas ab ineunte pueritia usq; ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, mediocri ingenio conarer addiscere &c.* Erasmus benè: *Mihi parum tutum videtur ad Theologiam destinato in profanis studiis præsertim alienioribus consenescere. Fit enim: ut qui palatum ac linguam multo absynthio habent infectam; iis*
quic

quicquid deinde biberint ac ederint,
absynthium sapiat &c. Ita qui bonam
vitæ partem in Bartholis & Baldis,
in Averroibus, Durandis, in Sophi-
sticis cavillationibus, in confusissimis
summulis ac collectaneis posuerunt:
Iis divina litera non sapiant id quod
sunt, sed quod illi secum adferunt. Et:
Absurdum videtur, cum rem tractes
ab omni sapientia mundana longè di-
versissimam, nihil crepare nisi Pytha-
goram, Platonem, Aristotelem, Aver-
roem, & his profaniores auctores, ad
horum opiniones veluti oracula obstu-
pescere, &c. Hæc ille.

REQUISITUM III.

*Bibliorum prima & puerilis per-
tractatio.*

Interea verò dum puer linguis
atque artibus operatur, eo tem-
pore omnino lectionem quoti-
dianam Bibliorum in lingua sive
vernacula, sive latina, quando
notior hæc & familiarior, con-

juget; ut à puero assuescat sacris literis: sicut eo nomine Apostolus suum Timotheum commendat in 2. *Timoth.* 3. v. 14. quòd à puero doctus fuerit sacras literas quæ ipsum sapientem ad salutem reddere possent. Atque hoc, mandato ipsius Dei, *Deut.* 6. v. 6. & seq. ubi dicitur: Erunt verba hæc quæ ego precipio tibi in corde tuo: & repetes ex filiis tuis, & loqueris de iis, quando sedebis tu domo tua, & quando ambulabis per viam, & quando jacebis in lecto & quando surges &c. Huc referantur alia dicta: ut, *Sinite parvulos ad me venire. Predicate Evangelium omni creatura &c.* Proba certè est admonitio, utut Judaica: *Filius quinque annorum accedat ad Biblia.* Optandum itaque esset, illud tempus quod insumitur in pueritia in ediscendis profanis versibus, falsorum Deorum traditionibus perlegendis, commentitiis fictorum Heroum actionibus, à Græcis mendacissimis pro-

proditis, quibus neque ad pietatem, neque prudentiam usus aliquis insignis, illud tempus, inquam, lectioni Bibliorum tribui, & historiis, sententiis, dogmatibus sacris ad unguem ediscendis ac memoriae infigendis, dum florida est adhuc teneris annis vis memoriae & capacissimi puerorum memoriales loculi: non esset fortè quod adultiores facti de Præceptorum rigore conquerebantur in onerandis memoriae arculis & profanis nugis replendis; ut pauca postea ex salutari & cœlesti doctrina capere possunt.

Diligenter ergo in pueriria perlegenda Biblia, memoriae mandanda argumenta præcipua & summæ librorum, historiae & historiæ continuatio, sententiæ, doctrinæ &c. Eaqu; omnia sæpiculè repetenda, ut instar orationis Dominicæ vel Catechismi teneantur.

*An pueris
legenda
Biblia sine
explicati-
one?*

B 5

Nec

Nec inconueniens putabitur
iuuentuti sacram scripturam le-
gendam commendare sine com-
mentariis & explanationibus: cū
maximam sui partem sit illustris
& perspicua, imprimis in iis quæ
ad salutem sunt necessaria. Si
quæ subinde occurrat verborum,
phrasium, idiotismorum &c. ob-
scuritas, cursum lectionis retarda-
re non debet, sed suo tempore
modoque tollenda relinqui.

*Paraphra-
sis Biblio-
rum Osi-
andri.*

Accedente aliquo iudicio &
linguæ Romanæ pollentiâ, legan-
tur Biblia etiam latina cum per-
petuis paraphrasibus Lucæ Osi-
andri: quibus brevis & laudabilis
explicatio exhibetur Bibliorum
instar compendii ex commenta-
riis maioribus Lutheri & Brentii,
unde Paraphrasis Osiandriana
plerumque est desumpta.

Ex versionibus Latinis melio-
res sunt Pagnini & Vatabli, licet
&

& illæ suis non careant vitiis, ut
dicemus alibi.

Atque donec aliquod prodeat
systema Theologicum genuinâ
illâ formâ quam postulat Spiritus
Dei, quâ de re videatur Janitor
noster Theologicus primus: pau-
corum dierum spatium revolvi &
addisci potest summa Doctrinæ
Christianæ ex Enchiridio Chem-
nitii, vel institutionibus Cate-
chetis Dieterici, aut Cluveri;
vel Mentzeri exegesi in Augusta-
nam confessionem, vel locis
communibus Herbrandi aut Haf-
senrefferi, aut Chemnitii, quæ
tanquam pleniores & succulen-
tiores præferendi: ita tamen ut
semper præferantur Biblia, & li-
bri illi symbolici ad sacram scri-
pturam tanquam ad obrussam
examinentur ac conferan-
tur, non vice ver-

sâ,

RE

*Compen-
dia Theo-
logica me-
liora.*

REQUISITUM IV.

Bibliorum pertractatio
in fontibus.

Postquā eò usq; jam facti sunt
progressus, ut linguas dictas
Juvenis probè calluerit, artes
sapientiæ secularis intellexerit,
Biblia in lingua vel materna vel
latina familiaria sibi reddiderit,
is sciat se jam fractâ nuce ad nu-
cleum properare.

*Fontes
quomodo
legendi.*

Quamobrem ad fontes ipsos
se accingat studiosè legendos, in-
terpretandos, & sensum genui-
num inde eruendum. *Studiosè*
inquam, ut fiat *ἀ ἀγνωνος*, atque ut
ait Christus, *Scrutatio Joh. 5. v. 39.*
& *Meditatio* ut habet Psaltes Re-
gius *Psal. 1.* Diligentia, constan-
tia & alacritas adsint. Si enim, ut
est in Proverbio, Regum ac Prin-
cipum literæ ter percurrendæ,
ut genuinus sensus obtineatur;
multo magis & sæpiùs oracula di-
vina solertissimo studio pertra-
ctan-

Etanda. Deinde magna cum devotione & reverentia scrutandæ & tractandæ sunt scripturæ, quippe in quibus, ut Isidorus ait, *Deus nobiscum loquitur, sicut nos in precibus cum Deo.*

1. Omnia requisita de modo interpretandi sacras scripturas probè observentur. Breviter & nervosè explicata videantur apud CL. Theologum, collegam & fratrem intimum meum, Dn. D. Brochmannum part. 1. *Controv. contra Pontif. lib. 3.* & ex iis aliqua uberrimè explicata exemplisq; illustrata apud Franzium de interp. script.

2. Sine ullo præjudicio accedatur. Quantum enim hoc sit obstaculum, liquet ex discipulis Christi *Luc. 18. v. 33. & seq.* præocupatis somnio Judaico de mundano & carnali Messia regno; & Judæis eodem fascinati in *2. Corinth. 3. v. 14. & seq.* Quamobrem sensus non est importandus
in

in scripturas, sed exportandus ex scripturis; & scriptura per scripturam explicanda. Unde *Hilarius lib. 1. de Trinitate*: Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potius quam importat, & retulerit magis quam attulerit, neque cogit id videri dictis contineri, quod ante lectionem presumpserat intelligendum, Hæc ille.

3. Cura & diligentia requiritur. Solliciti enim de intellectu mysteriorum erudiuntur, reliquis Christum non consulentibus in ignorantia relictis. Vide sis *Matt. 13. v. 11. & seqv*: *Marc. 4. v. 10. & seqv*: *Johan. 5. v. 39. Actorum 17. v. 11.*

4. In collatione locorum & vi atque proprietate vocis cujusque enodandâ, præter *Lexica* (quæ plerumque imperfecta mutilaq; ideoque ex scripturâ concinnanda & corrigenda) utiles sunt *Concordantiæ* 1. *Hebraicæ* Rabbi *Mardochei Nathanis*: quarum si
Quis

quis latinam interpretationem
requirit, eam Anthonius Reuch-
linus prodidit sub titulo, *Capita
concordantiarum*, & nuper Ma-
rius de Calasio in suis concor-
dantiis Hebraicis; qui intuper
præclaram operam præstitit in
addendis convenientiis lingua-
rum vicinarum Orientalium, &
varietatibus versionum, Græcæ 70
& Latinæ tum vulgaris tum Pag-
nini. 2. *Græco-latina* Novi Testa-
menti Henrici Stephani. 3. *Lati-
nae variae*, imprimis maximæ, quas
Vechelus & Martinus excude-
runt. Huc etiam faciet *Lexicon
Theologicum*, quod Flacius edi-
dit sub titulo *Clavis sacrae scriptu-
rae*, quo opere sine dispendio
studiosus Theologiæ carere non
potest, utut more Concordanti-
arum Latinarū vocibus vulgatæ
Latinæ versionis utatur. Ad vim
vocum seu nominum proprio-
rum explicandam conducet *O-
nomasticon Chytræi*; cui simile
con-

Concordantiis suis subjecit Calasius.

5. Si quis in fontibus mediocriter saltem exercitatus est, plurimum juvabitur Bibliis Pagnini & Ariamontani, ubi Hebraicis & Græcis fontibus statim interlinearis versio est apposita, Item pro rudioribus & iis qui ex professo non sunt futuri Theologi, Biblia Hebraica Hutteri facient: ubi in singulis vocibus literæ radicales distinctis typis sunt expressæ, nempe plenæ; Serviles autem hiulcis; Deficientes & quiescentes minore caractere in superiore punctorum atque accentuum ordine reperiuntur.

Ordo legendi Bibliæ.

6. Initium faciendum à libris Novi T. & postea ad V. accedendum. Impleta enim sunt in N.T. quæ de Christo scripta sunt in Mose, Prophetis & Psalmis, ipso servatore hoc afferente. Hinc Judæi nihil penè intelligunt ex V. T. quia N. contemnunt atque igno-

ignorant. Quod in veteri est ut De Rabi-
umbra, in N. T. res ipsa & lux est. *De Rabi-
norum in
re sacra
inscitia
Lutheri
judicium.*
Hinc B. Lutherus in Gen. cap. 16.
Cum rerum sacrarum cognitione de-
stituuntur Rabini, prorsus negligendi
sunt &c. & paulò post: Porro voco
notitiam rerum aliud nihil quàm no-
titiã N. T. eo benè cognito patet u-
niversa Veteris T. scriptura. Et pau-
lò ante: Etsi igitur Grammaticians
norunt (Rabbini) tamen sententiam
veram scripturæ non norunt. Est eis
scriptura, ut Esaias ait, liber quem
non possunt legere. Non autem accipi-
enda ea hoc modo sunt, quasi Gramma-
tices studium damnem, quod omnino
necessarium est, sed nisi cum Gram-
matica etiam res ipsas discas, nun-
quam sis bonus Doctor. Oratio enim,
ut ille dicebat, in pectore, non in ore
nasci debet. Item in Gen. c. 20. v. 16.
Qui iura non didicit, forensia vocabu-
la nullo modo intelligit; sic medicina
sua habet propria vocabula, sic Astro-
nomia, quæ nemo intelligit, nisi res
prius teneat: Certum autem est Ju-
deas

¶

¶

deos post negatum Christum amisisse
res: nihil igitur sani docere possunt,
& frustra in Grammatica se torquent:
sepè unum vocabulum in decem signi-
ficata partiuntur. Hæc verissimè
Lutherus.

REQUISITUM V.
Commentatorum in Biblia
pertractatio.

Horum quia plurimi sunt, tum
ex patribus, tum nostri seculi
Orthodoxis, item Pontificiis, Cal-
vinianis &c: quorum potissimos
vide enumeratos in Biblico nostro
apparatu; paucos eosq; bonos in
consiliū adhibebis: non quòd fon-
tibus quicquam vel derogare vel
præscribere possint, se ut in opi-
nionum & disputationum multi-
tudine deprehendere queas con-
sensum eorum, qui propiùs ad
sensum ex fontibus ad te erutum
accedunt: Imprimis commen-
data esse debent, quæ in libros sa-
cros ediderunt Lutherus, Bren-
tius,

*Meliora in
libros sa-
cros Com-
mentaria.*

tius, Flacius, Hunnius, Arias Montanus, & Mercerus: atque ad conjungenda Chronologica Veteris T. Salianus; Nova autem T. Centuriæ, Magdeburgenses, & Annales Baronii. Usus Commentatorum est propter difficiliores locos, in quibus etiam multi Eruditissimi multum desudant: *nam divisiones sunt gratiarum & unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem &c. 1. Corinth. 12. v. 4. & 11. & nullius prophetia seu explicatio pro nihilo habenda, in 1. Thess. c. 5.* Aliàs continuata lectionis Biblicæ lectio nullo die intermittenda, quæ si annorum aliquot spatium adhibita fuerit, ipse longè rectius difficilem aliquem locum explicabis, quam plerique ex commentatoribus.

REQUISITUM VI.
Patrum & Polemicorum
lectio.

HOs jungo: quia vix quisquam
est ex patribus, quin polemi-

De Patri-
bus Erasmi
iudicium.

ca scripserit contra sui temporis
Hæreticos. Nisi otio abundave-
ris, parca sit horum lectio: & tùm
præcipuè, quando putas te omnia
in Bibliis intellexisse & reperis-
se, quæ dubitationem apud ali-
os habent. Etenim vix quisquam
est ex patribus, quin nævos suos
habeat, plurimos ab ipsis etiam
Pontificiis deprehensos. De le-
ctione Patrum videatur *Oratio*
Chemnitii L. C. præmissa. Eras-
mus de optimis quibusque patri-
bus scribit: *Homines erant, quædam*
ignorabant, in nonnullis hallucinati
sunt, dormitarunt alicubi, nonnulla
dederunt utcumq; vincendis hereti-
cis, quorum contentionibus tum fer-
vebant omnia. Præterea vix quis-
quam est horum cujus falso titulo non
per multa circumferantur, atq; adeo
quod est impudentius, cujus libris
non multa permixta sint aliena. Hæc
ille.

Ad Eristicos & Polemicos no-
stri seculi adeò non duco, ut poti-
ùs

us avocare velim, memor illius
Apostolici 1. Cor. 11. v. 16. Si quis vi-
detur contentiosus esse, nos talem
consuetudinem non habemus, neque
Ecclesie Dei. Lectio tamen di-
gna sunt scripta Polemica Chem-
nitii, videlicet examen Concilii
Tridentini; de duabus naturis in
Christo; & de Coena; Præterea
Hunnii scripta tam Polemica quã
didactica succo & sanguine plena
sunt; quamquã alia aliorũ etiam
quamplurima commendatione
digna sunt, quib. tamen perlegen-
dis unius hominis ætas in Bibliis
occupanda non sufficit. *A conten-
tiosis autem questionibus abstinен-
dum est*, sicuti Paulus sollicitè ad-
modum Timotheum ab iis de-
terret 2. Tim. 2. quando non vult
verbis contendere (λογμαχίας vo-
cat) eo quod ad nihil conducatur, nisi ad
subversionem auditorum v. 14. Et
mox ubi iusserat eum rectè seca-
re verbum veritatis, addit: *Inanes
autem vocum vanitates devita*

1. *Timoth. 6. v. 4. ex ejusmodi quaestionibus & verborum pugnis nasci scribit invidiam, contentionem, blasphemiam, suspiciones malas, conflictationes hominum mente corruptorum, veritatis expertium &c. Sic ubi Tit. 3. v. 9. multa monuisset quæ ad pios mores faciunt, etiam atque etiam admonet, ut stultas quaestiones & genealogias & contentiones & pugnas legales tanquam inutiles & vanas rejiciat.*

REQUISITUM VII,
Theologorum, Concionatorum, aliorumque qui vivâ voce docent, sedula atque attenta auscultatio,

Sufficiant hîc verba insignis Theologi, V Volfg. Franzii tractatu de interpret. scriptur. pag. 14. & 15.

Pleriq; (juvenes) ilicò ex Academia discedunt, coemtis Postillis & libris aliquibus Theologicis. Viva voce

ce

ce interpretantem paginas sacras au-
diverunt nullum, sed in Theologicis
evadunt αὐτοχθονες ἔ αὐτοδιδάκτοι,
quos totus mundus infelices esse, ἔ
multa inconvenientia gignere pro-
clamat. Tales etiam num gloriam
Dei ritè ἔ in solidum quærere pos-
sint, num adhortari alios ad solide
pietatis studium, judicent qui non
sunt ex professo Theologi. Mihi non
est dubium, quin sint saepe numero
publicarum calamitatum in orbe ter-
rarum continuanter ἔ graviter gras-
santium causa præcipua isti, qui The-
ologiam ex suggesto docent, qui ad pe-
des Theologorum Academicorum, ad
quos patrocinio suorum fautorum ab-
legati fuerant, nunquam sederunt,
ἔ nec per horas quidem omnino pau-
cas iis auscultandis operam ullam na-
varunt.

An non etiam videndum sit iis, qui
jus patronatus obtinent ἔ potesta-
tem eligendi ministros verbi habent,
ne ejusmodi αὐτοδιδάκτους recipiant, ju-

*dicium cuius committo gloriam Dei,
Ecclesie publicam & privatam utili-
tatem amanti, citra affectus. Navis
gubernatorem nemo creat nisi idone-
um: cur itaq; in hac parte anima-
rum multarum salutem concernente
adeò volens cœcuties? Hæc Frant-
zius.*

Sixtinus Amama, Professor Fra-
necheranus, videtur hisce verbis
commotus, ut parænesin (in
quâ & Franzium citat, & com-
plura Franziana ex dicto libro re-
perire licet) ad synodum provin-
ciale Anno 1624. perscribe-
ret Belgicâ linguâ, de non admit-
tendis ad S. ministerium, nisi i-
doneis, atq; in Bibliis, linguis &c.
mediocriter versatis: ob quam
parænesin synodus non tantum
gratias per Hardenbergium sin-
gulariter agendas censuit: verum
etiam statim decrevit, ut in poste-
rum ad sacrum ministerium non
admittantur, nisi qui præter te-
stimonia senatus Academici, et-
iam

iam Theologiæ Professorum atq;
aliorum de profectu contestantia
exhibere possint: Quod utinam a-
libi etiam observaretur, plures
utiq; eruditos ecclesiæ haberent
ministros.

REQUISITUM VIII.
Doctrinarum & locorum
communium collectio.

EX omnibus autem lectis, au-
ditis & pensatis, utile fuerit
iuxta seriem Alphabeti do-
ctrinas & locos communes colli-
gere, in quos omnia vel præcipua
lecta aut audita, veluti nidulos
quosdam digeras: quò promptius
sit, ubi videbitur, quod voles vel
promere vel recondere. Hac u-
sum fuisse ratione D. Hierony-
mum, eruditi ex scriptis ejus anim.
adverterunt. Ex ejusmodi lo-
cis promptissimum deinde fue-
rit, tanquam ex cellulis depro-
mere, unde vel conciones ad po-
pulum formare, vel publicè in

scholis perorare, prælegere, disputare, vel opera varia ad præ-
lum concinnare quis possit.

*Nè quod reliquum est pagellarum,
vacuum in conspectum Lectoris pro-
diret, Magni illius Theologorum Co-
ryphæi, D. Martini Lutheri p.m.*

*Testimonia ad illustrationem
Consilii hujus facientia
subjicere placuit.*

TOm. 1. Lat. fol. 166. a. Cùm
scriptura sancta velit in ti-
more & humilitate tractari, &
magis studio piæ orationis pene-
trari, quam acumine ingenii: im-
possibile est, quod sine damno
sint, vel suo proprio vel aliorum,
quos docent, qui nudo ingenio
freti, in eam irruunt illotis pedi-
bus sicut porci, tanquam sit hu-
mana quædam scientia, adeò nul-
lo reverentiæ discrimine versan-
tur in illa. Inde veniunt tot prom-
ptuli ad docendum, qui statim
cognita Grammatica, Theologi-
am

am sine omni studio profitentur,
dicentes: Hem Biblia! res facilis
est.

Tom. 2. in Genesin fol. 85. a. in
cap. 17. De principum Epistolis
proverbio dicitur, ter esse legen-
das, sed profectò DEI EPISTOLAE,
sic enim appellat scripturam Gre-
gorius, septies ter, imò septu-
agies septies, seu ut plus dicam
INFINITIES LEGENDAE SUNT,
quia sunt divina sapientia, quæ
non statim primo intuitu potest
comprehendi. Si quis obiter tan-
quam res notas & faciles legat, se-
ipsum decipit.

Tom. 2. lat. pag. 217. b. Hoc di-
dici, scripturam esse eam, quæ
nullius ingenium, nullius erudi-
tionem, nullius diligentiam, nul-
lius sanctimoniam non in multis
fallat & superet, atq; cum omni-
bus etiam parvulis sit exposita ad
satietatem usque, magnis tamen
semper seposita est ad esuriam,
ut verissimè & sapientissimè di-
xerit

xerit Gregorius, scripturam esse
fluvium, in quo agnus peditat, &
elephas natat, nec in ea foedius
nec perniciosius erraverunt, quam
qui se nihil in ea errasse praesum-
serunt, nec felicius & salubrius in
ea profecerunt, quam qui timue-
runt se in omnibus errare. Sapi-
entia enim est, cujus principium
timor Dei, quae intellectum dat
parvulis & sapientiam sapientum
reprobat.

Tom. 4. lat. fol. 416. b. praefat.
in psalmos graduum. Excutiamus
istam philautiam, & humiliemus
nos coram spiritu sancto, ac fate-
amur hanc infinitam sapientiam
esse, quae non possit exhauriri, et-
iamsi vitam omnem in discenda
scriptura deponamus. Etsi enim
aliquam cognitionem habemus
Dei gratia: tamen quia quotidie
quali nubibus tentationum ob-
ruimur, semper AD HUNC FON-
TEM, IMO AD IGNEM HUNC PER-
CURRENDUM EST, UT RURSUS CA-
LEFI-

LEFIAMUS, neque aut Satanæ aut
carni nostræ indulgeamus, ut ob-
ruantur primitiæ spiritus.

Tom. 2. lat. fol. 428. b. Meum
consilium sit, qui sacras literas
non potest certo sensu tenere, eas
dimittat. Tutius est, cum laicis
ignorare eas, quam incertas habe-
re. Incredibile est, quantas mole-
stias Satan per eas faciat morituro,
si ambiguas habeat.

Tom. 4. fol. 293. b. Unusquis-
que nostrum videat, ut ita scriba-
mus, legamus, doceamus, disca-
mus, ne relictis Bibliis denuò no-
bis acervemus Patres, doctores,
concilia, decreta, articulos De-
cretales & colluviem humana-
rum traditionum & opinionum.

Tom. 2. Epist. fol. 95. & 96. Suf-
ficit Christiano ad confutan-
dum errorem quemlibet dicere,
scriptura non habet, &c. Sic Hie-
ronymus: Hoc de scripturis au-
toritatem non habet: ideò ea fa-
cilitate contemnitur, qua proba-
tur, &c.

Tom.

Tom. 2. in Genes. fol. 143. a. in
cap. 19. Ego ipse eam ob causam
odi meos libros, & sæpè opto eos
interire, quod metuã ne moren-
tur lectores, & abducant à lectio-
ne ipsius scripturæ, QUAE SOLA O-
MNIS SAPIENTIAE FONDS EST, AC
TERREOR EXEMPLO SUPERIORIS
ÆTATIS. Postquam enim in ho-
minum commentarios incide-
runt, qui sacris studiis dediti e-
rant, non solum plurimum tem-
poris in lectione veterum Theo-
logorum consumserunt: sed et-
iam tandem occupati sunt in A-
ristotele, Averroë & aliis, ex qui-
bus postea nati sunt Thomæ,
Scoti & similia por-
tenta.

(* * *)
† †
*

in
m
os
n-
o-
o-
AC
IS
o-
e-
e-
n-
o-
tt-
A-
i-


Aug IV A 2.19


f

ULB Halle 3
004 356 438


Sb.










Farbkarte #13

B.I.G.



De
**STUDIO
THEOLOGICO
COMPENDIARIA ET**
genuinâ tamen ratione in-
coando & continuando
**BREVE
CONSILIUM**

Autore
CASP. BARTHOLINO
S.S. Theologiae D. & Prof. in
Acad. Hafn. Ordinario.



WITEBERGÆ,
Exscribebat **JOHANNES HAKE.**

ANNO M. DC. XXX.

